



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Sev Manuale Episcoporum Pro Decretis in
Visitatione, & Synodo, de quacumque re condendis.**

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1650

cap. 34. De Punctatoribus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9534

ANNOTATIONES. §. 9.

- 1 **C**anonici Regulares, aut Monachi, etiam si sint in Cathedrali Ecclesia, non sunt capaces delegationum Apostolicarum ex Archidiacon. Geminian. & Butr. in cap. statutum 11. de rescript. in 6.
- 2 Canonici Collegiarum, etiam insignium, alioqui Doctores, non possunt esse Iudices Synodales, etiam si nullus Doctor reperiretur, nec eis aptior in Capitulo cathedralis, & inter obrinentes dignitates, ex declar. Sacrae Congreg. Conc. Trid. quam recitat Massobr. de Synodo cap. 4. dub. 10. in fine.
- 3 Neque item Canonicus in Cathedrali dispensatus super minori aetate, ut fuisse probat idem Massobr. loco cit. dub. 11.
- 4 Potest autem eligi Iudex Synodalis, Protototarius Apostolicus, ex eodem Massobr. dub. 12. tum Vicarius Episcopi, dub. 13. hoc est, Generalis, non Foraneus.
- 5 At in Prouincia Mediolanensi debent nominari omnes Canonici Cathedralium Ecclesiarum Iudices Synodales in gratiam Regularium illius Prouincia, ex Decreto quod ego legi authenticum apud Episc. Laudens. à Sacra Cong. Conc. Trid. edito die 27. Septemb. 1614. & habetur infra p. 4. circa finem.

De Testibus Synodalibus. Cap. XXXIII.

- 1 **T**estes Synodales dicuntur, quia in Synodo deliguntur, aliàs electi extra Synodum, dicerentur tantum Testes publici: ij vero debent esse viri graues, zelo disciplinae clericalis illustres forma facti Cleri, verbo, & exemplo potentes.
- 2 Septem constituuntur, in Actis Eccl. Mediol. Concil. Prouin. 5. sed & plures arbitrio Episcopi pro amplitudine Diocesis, assumi possunt.
- 3 Si palam nominantur, & adsint in Synodo, inter ibidem, aliàs extra Synodum, si absint; vel, si schedula secreto habeantur.

ANNOTATIO. §. 10.

Plures Episcopi hodie non euulgant nomina Testium, ut liberius possint exercere munus suum, minori cum odio Clericorum, quos deferre debent ad iralatum, iurabunt ergo hi secreto in manibus Episcopi.

De Punctatoribus. Cap. XXXIV.

- 1 **I**N Collegiatis Punctatorum munus est notare absentes ab Horis Canonicis, aut

Missis; & solent esse duo; tum vt alter eorum saltem intersit: tum, vt, ambobus concordantibus, absit suspicio infidelitatis in notando.

- 2 Episcopus in Prouincia Mediol. ex Actis eiusdem, in Prou. Conc. 1. debet alterum eligere, alterum Canonici. Vterque iurat, ex Concil. Mediol. Prou. 4. hic iurat in capitulo, ille in Synodo, ex Conc. Mediol. Prou. 5.

De Iuramento Examinatorum, Testium, & Punctatorum. Cap. XXXV.

- 1 **I**uramentum erit præstandum mane, ex Conc. Prou. Mediol. 4. & hoc 4. ideo dicitur, vt eius ratio habeatur in distributione partium totius actionis Synodalis.
- 2 Et eo modo, quo supra diximus de Examinatoribus, poterunt iurare Testes publice nominati, & Punctatores ab Episcopo delecti.

De Officialibus Cleri. Cap. XXXVI.

- 1 **A**d aliquorum præ alijs indicanda materiam, & plenioram in Clero rerum notitiam, consueuerunt Episcopi prudentiores distribuere officia Clericalia in Synodo, pro consuetudine locorum, & varia necessitate rerum.
- 2 Declarantur itaque primo loco consultores S. Officij, si penes Episcopum sit tribunal, vt Neapoli.
- 3 Recognitiones librorum imprimendorum.
- 4 Reuifores Indulgentiarum, quæ à S. Sede Apostolica obtinentur.
- 5 Præfetti Musicae, ne in Ecclesijs prophana cantentur, aut indecora.
- 6 Syndici, seu Procuratores Cleri pro immunitate, & alijs.
- 7 Præfetti, & administratores Seminarij, tum spiritualium, tum temporalium rerum.
- 8 Præfetti disciplinae clericalis in ciuitate, distributis classibus clericorum.
- 9 Vicarij Foranei, & Piores Confraternitatum Parochorum.
- 10 Visitatores generales.
- 11 Prior Doctrinae Christianae.
- 12 Confessarij speciales Clericorum minorum.
- 13 Præfetti Fabricae Ecclesiasticae.
- 14 Aduocati, & Procuratores pauperum.
- 15 Oeconomi beneficiorum vacantium.
- 16 Vicarij Monialium.
- 17 Præfetti funeralium.
- 18 Præfetus spiritualis carcerarorum.
- 19 Præfetti Processionum.